



DISSESSATIO ACADEMICA,

*Exhibens*

*Meditationes de natura, origine, & veritate  
Axiomatum, imprimis ultimorum principiorum cognitionis humanae.*

QUAM,

*CONSENTIENTE AMPL. FAC. PHIL. REG. ACAD. ABOËNSIS,*

PUBLICO EXAMINÉ SUBMITTIT

*GABRIEL ISRAEL HARTMAN,*

PHILOSOPHIE MAGISTER,

RESPONDENTE

NICOLAO ÅKERMAN,

SVIO-GOTHO

In Auditorio Superiori die III Junii, MDCCCI,  
horis a. m. solitis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



## INTRODUCTIO.

Constat nos cogitare. Cogitatio vero per se alium non respicit finem, quam cognitionem veri ut a falso discernatur, & boni rectique, ut a pravo. Cognitio autem omnis omni caret pretio, nisi persuasi sumus eam esse veram & rei, de qua agatur, naturae respondentem. Sed omnis de veritate cognitionis persuasio nascitur demonstrationibus aut tacitis, aut expressis. Demonstratio autem non potest existere sine axiomatibus seu principiis ex quibus suam vim persuadendi hauriat. Hoc tam certum habemus, ut omnino nulla cogitatio aut cognitio, cui pretium veritatis aliquo modo tribui poslit, inveniatur, quæ a principiis non pendeat. Quod si igitur in omni cogitatione ita insunt axiomata, quæstio illa (a philosophis saepe proposita, & de qua saepius est disputata, quæ verum tamen adhuc recte & satis neque explicata, neque dijudicata est) maximi est pretii: *Ubi fons principiorum cognitionis querendus & quomodo inde deriventur. Præterea, qua natura, quoque pretio in applicatione sint.* Cum itaque quædam de his rebus cogitationes ad quæstionem illustrandam & dijudicandam pertinentes, mihi in mentem venerint, volui eas oculatiorum maturiori subjicere examini,

---

### §. I.

Primum, quod esse meum putavi, fuit attente inquirere, & accurate exponere ea, quæ in re, de qua sermo est, sint

A

scrz

certa data & facta. Et cum animum ad rem, summa cuncta attentione, quae quidem in mea eset potestate, applicarem, inveni has, a nemine (ut ego quidem judico) fano negatae res, quas exprimere sequentibus enunciationibus placet.

I. Cogitamus, & cognitionem quandam tenemus.

II. Utimur principiis in cogitando & præsertim in concludendo. a)

a) Quod fit etiam in cogitatione maxime quotidiana & vulgari. Videns enim Amicum, cum alloquor, quia credo scilicet non esse alium quam amicum, fretus principio contradictionis. Sic quoque nixus principio causalitatis Amicus ad me se vertit, cum audit sonum meæ allocutionis, non dubitans, quin aliquis, qui hunc sonum edat, adsit.

III. Omne in cognitione certum, cujus participes esse possumus, ex principiis oritur, vel saltem illis adhibitis probatur, & ad altiorem certi gradum, quam hæc principia offerunt non possumus pervenire. b)

b) Sunt quidem, qui judicent, nos experiendo, interveniente nulla ratiocinatione, de natura rerum obvenientium certiores fieri; hi vero perpendant necesse est, illam fidem, quam sensuum testimonii & experientie probemus, re ipsa nisi principio causalitatis. Ab ideis enim, ad res realiter existentes conclusionem facimus, quoniam idæc sine causis efficientibus existere non posunt.

IV. Principia vero, quibus ita uti licet, non sunt nisi Judicia absolute univeralia & necessaria, quæ verbis expressa evadunt hujusmodi enunciationes sive axiomata; h. e. talia judicia, quibus mens nostra fidem immediate traxit, quæque per se videretur nobis tam clara & perspicua, ut omnino nulla dubitatio locum habere posset. Quod vero sic sumatur, volo, ut nos de his judiciis aut principiis ita fiatuanus, antequam eorum naturam, originem atque usum non vulgari ratione perscrutati sumus.

V. Cum

V. Cum autem certum sit, cogitationem semper nisi ejusmodi principiis, quemque concedere etiam oportet, hæc principia aut ante omnem cogitationem in mente existisse, aut una cum illa exsurrexisse. c)

c) Etiam in cogitationibus fabulosis insunt axiomata & indicant nempe esse fabulas.

VI. Facile autem appetit, nos ejusmodi judiciis (axiomatisbus) revera esse instrudos. Nam genera judiciorum universalium sunt evidenter duo: unum scilicet eorum, quæ absolute necessaria non sunt, quoruque exemplum hoc erit: *Homines sunt mortales*; a terum vero eorum, quibus insunt aboluta universalitas atque necessitas, e. gr. *Totum est majus quavis sua parte*.

VII. Sed cum verum sit, demonstrationem quamlibet suam vim persuadendi ex principiis de quibus nunc questionata est, sumere & deducere; perspicuum quoque est, nobis, in fonte principiorum indagando, & pretio eorum testimando, demonstratione ordinaria & vulgari uti non licere. Quod enim de natura & pretio cuiusdam principii demonstramus, nisi illo ipso principio, involvit circulum & nullius est momenti. Via, autem, qua ad cognitionem fontis principiorum naturæque eorum pervenire liceat, non est nisi hæc, ut attente observemus quod conscientia nostra nobis exhibet in his rebus investigandis, evidens & certum.

## §. II.

Devia vero cavenda sunt, & adversarium telis privare prudentis est. Quapropter etiam oportet nos, antequam viam propositam securi pergamus, circumspicere conscientiæ campum & vias in errorem ducentes nolare, ne in eas incidentes

tes ad metam nunquam pervenire possumus. Quæ devia, quibus fons judiciorum necessariorum & absolute universalium ab homine non insano inquire potest, & sœpe a multis quæstus est, sunt, me judge, haec quatuor.

- I. Si quæritur fons principiorum istorum in campo *Experientiae* aut puræ, aut inductione formatæ.
- II. Si in *Traditione*, ita ut educationis ope inde provenire putentur axiomata.
- III. Opinio, quæ esse *a priori* in mente insita axiomata, statuitur.
- IV. Opinio, quæ esse *a priori*, quasi per certas formas insitas præstabilita, existimantur.

Si queris, quid causæ fuerit, cur Philosophorum alii agant harum viarum, quas negare audeo esse ad finem optatum ducturas, ingressi sint; responsum erit in promptu, si ad eam ratiocinationem, quam sim allatus, animum adverteris.

Axiomata sunt aliquid. Quod igitur alicundè proveniat necesse est. Fons vero illorum quæri non potest nisi aut insitus in animo vel ente cogitante, aut extrinsecus, ita ut statuatur ea sensuum & experientiæ ope esse in intentem ingressa. Quod cum ita sit, alii, arbitrati nos omnem cognitionem experientiæ ope obtinere, in eam transiverunt sententiam, ut axiomata etiam eadem via nata esse existimaverint. Alii autem, quando oculo intento inspexerunt axiomatum necessitatem & absolutam universalitatem, putaverunt ea fuisse in mente *a priori*, quoniam sit impossibile, ea experientiæ ope obtineri. Utriusque autem generis Philosophos a vero aberatas, ostendere conabor.

### § III.

### §. III.

Experienciæ ope, h. e. a posteriori, non potest Axioma quoddam ortum habere ob sequentia momenta:

- I. *Ob Experientiæ Particularitatem.* Nam experientia nobis tantum tradit hanc vel illam rem, hoc vel illud rei attributum, aliud singulare post aliud; utique nihil absolute universale & necessarium.
- II. *Propter Experientiæ Occasionalitatem.* Nam unus hominum aliud experitur, aliud alter; alias multum, alias parum. Omnia itaque quæ ab experientia pendent, sunt occasionalia; nihil absolute necessarium, nec universale.
- III. *Ob Inductionis pretium mere analogicum.* Totum enim id genus Judiciorum universalium, quod per inductionem ex singularibus provenit, mentis conscientia, extra limites experientiæ tese non nisi per analogiam extendere, agnoscit. d)
- d) Si per Inductionem, ex singularibus judiciis experientiæ, deducere consitis axiomata, facile percipies ea, non tantum nequaquam posse ad plenam certitudinem assurgere, verum etiam potius esse incertissima judiciorum ad leges rationis formatorum, & ob eam rem pro fundamentis veritatum nequaquam esse habenda. Quorum assertorum exemplum videatur in Lexico Encyclopædico scientiarum & artium Lutetie Parisorum edito, voce *Axiome*, (auctore Abbe Merton, quem, in Praefatione ejusdem libri, nomine solidi & perspicacissimi Metaphysici ornat celeberrimus d'Alambert).}
- IV. *Ob ipsam Experientiæ naturam*, quæ per se semper talis est, ut tantum doceat quales res sint, non vero eas aliter se habere non posse, h. e. docet tantum res esse, non necessario esse, reut hoc vel illo modo se habere, non autem non posse aliter se habere.

A 5

Hæc

Hæc momenta forsitan sufficiunt ad illos refutandos, qui, ideas & notiones insitas rejicientes, volunt fontem omnis cognitionis, etiam axiomatum, in experientia campo quærere.

## §. IV.

Ut vero ostia, quibus in errorem circa hanc rem ruere possunt homines diligentius occludantur, non est sententia eorum prætermittenda, qui adstruere forsitan velint, axiomata nobis, traditione, educationis ope inculcati & ob veritatis speciem a tradentibus proposita, a nobis pro veris & omnino indubitatis accepta esse. Afferre scil. possunt lue sententiæ firmandæ causa, homines semper pro veris & quasi a tripoide dictis habuisse omnia, quæ parentes plena cum confidentia illis tradiderint; quorum exemplum appareat in omnium nationum religione: & cum homines res quoque absurdissimas pro gravissimis veritatibus educationis ope atque respectu religionis teneant, quanto plus fidei ponant in his (axiomatibus), quæ non modo non sint absurdâ, verum etiam multo magis ab omni experientia probentur & fermentur? Quos autem ut infringam, sequestia afferam:

I. *Axiomata non modo non nituntur fide historica, verum &c e contrario per axiomata estimatur & dijudicatur,* atque Axiomatum ope sit, ut multi homines a traditione parentum & institutis majorum recedant, inque aliam, valde ab iis diversam sententiam, religionem &c. transcent.

II. *Involvunt quoque Axiomata necessitatem absolutam & pretium habent universalissimum,* quæ necessitas & universalitas nituntur non fide, neque alicujus personæ testimonio, sed ipsorum evidentia & ipsa eorum perspecta necessitate.

## III. Num-

III. *Nunquam fuerunt neque alia, neque sibi invicem contraria:* & homines omnibus temporibus de eorum in judicando & ratiocinando effectu sic fuerunt persuasi, ut, qui dederunt systemata religionis gentibus, ne, examinando & principiis rationis adhibendis, fallitatem suarum doctrinarum homines cernerent, & eas dellicerent, usum etiam rationis legibus suis subjecere conati sint.

IV. Et quamvis homines, rationis usus expertes, axiomatis usi esse non videantur; certum tamen est, quemque rationis participem eadem, quamquam non expresse, tamen tacite & in mente & usu agnoscere, iisdemque usum esse.

Ob quæ momenta gravissima, quisque hanc hypothesin damnet, & una nobiscum in aliis cognitionis humanæ plagijs querat fontem judiciorum absolute universalium & necessariorum.

## §. V.

Experiencie campo relido, ad internas mentis regiones attentionem advertere nos oportet. Ubi vero statim occurserunt nobis duæ in errorem ducentes viæ, vestigijs multorum valde tritæ. Quarum tamen alteram post tempora Platonis & Academicorum pauci ingressi sunt Philosophi; altera autem adhuc est plena turba viatorum.

Si quis sit, qui judicet axiomata sic esse *a priori*, ut in mente ante omnem experientiam existant talia, qualia in homine adulto inveniuntur; eum in animo suo perpendere hæc oportet momenta.

I. Ideæ, ex quibus constant axiomata, omnes sunt experiencing & abstrahendo acquisitæ. Quod erit, puto, inducium cuique acutiori oculo naturam cognitionis adspiciendi,

enti. Unde sequitur, si etiam sunt a priori derivanda, eadem tamen ante omnem experientiam utique haud potuisse in mente existere.

**II.** Evidens & perspectum cuique sano debet esse, non cognitionem, sed facultatem cognitionis acquirendam, nihil nisi vires hoc vel illud accipiendi, acquirendi, faciendi, esse homini innatae. Quapropter non axiomata sed tantum facultas eorum formandorum aut inveniendorum in mente a priori querenda est.

### §. VI.

Sed cum de facultate axiomatum formandorum quæstio movetur, a quibusdam Philosophis creditum est, eam facultatem esse a priori sic ordinatam, comparatam & dispositam, ut quasi per internas formas, subiecto cognitionis a priori datas, determinet & praestabiliat axiomatum naturam, numerum & qualitates. Qui Philosophi sequentia perpendere debent.

**I.** Si axiomata a formis praestabilitis, insitis, & propterea etiam mere subiectivis, non necessariis, pendent; pretio etiam mere subiectivo, & vi cogitationes secundum legem, non ad verum inveniendum dirigente gaudent, necesse est. Nam si hæc formæ esent a priori spiritibus datæ, possent etiam esse aliæ aliorum spirituum, adeoque possent aliis & tibi invicem contrariis axiomatibus alii uti. Quapropter in illis nihil eset necessario veri & naturæ rerum respondentis. Rationi itaque omne in indaganda rerum atque veritatum natura pretium dengetur; certum eset omnino nihil præter existentiam nostrarum incertarum cogitationum; & Scepticismus summa ad cœlum attolleret caput.

M. For-

**II.** Formæ, aut dispositiones mere subiectivæ, de quibus nunc agitur, ullo modo demonstrari non possunt nec inventari. Nam 1:o Conscientia nihil de earam existentia docet, sed contra testatur rem multo aliter se habere, quod mox exponam: 2:o Ubi ad illarum formarum existentiam conclusio fieret, ea conclusio, ut quæcumque alia, penderet a demonstratione nixa illis principiis, quorum vaga, incerta & non nisi subiectiva natura inventenda esset. Præterea nemo sufficienter potest ostendere eas tantum huic vel illi enti spirituali esse datas; sed neque bene possunt esse spiritui necessarie, ac propterea quoque utique vere & pretio objectivo gaudentes.

III:to loco afferenda est mihi causa, cur eorum sententia, qui, per formas vel proprietates cuique enti spirituali a priori separatim concessas & insitas, axiomata habere suam vim a priori adstruere volunt, a vera rei natura valde abhorreat. Quæ causa omnium est gravissima, & ad evitandos errores aptissima, quamprimum pro vera agnoscitur. Nam illa sita est in demonstratione, quam afferre mihi incumbit, quaque ostendere conabor, axiomata omnino aliunde originem ducere, quam crediderunt hi Philosophi.

Errarunt in hac re Philosophi quod opposuerunt τὸ a priori τῷ a posteriori, & tertium penitus excluderunt.

### §. VII.

Si vero tandem queritur, qua via fons Judiciorum absolute universalium & necessariorum sit investigandus; respondeo, nos illum fontem certe invenire tantum posse inquirendo in facultates animi essentiales & possibilitem cognitionis

B

con-

constituentes, atque inde principia illa s<sup>e</sup>pius laudata deducendo. Quod asserere audeo his adductus momentis:

I. Quæstioni, an axiomata sint in mente a priori, præmittit debet illa: *Quid est in mente a priori?* Nam ut aliquidi perspicui & certi in doctrina de axiomatum origine & natura habeamus; debemus ascendere usque ad ultimum omnis cognitionis principium, mentis scil. attributa essentialia, sine quibus cognitio omnis omnino est impossibilis, h. e. ad ipsam considerandam cognitionis facultatem. Qua explorata, per gradus, sine latu & præcipitania descendere oportet, usque dum perveniamus ad locum, ubi Axiomata sive principia (judicia universalia & necessaria) quasi ex fonte suo scaturiunt. Qua vero in re expendum est, utrum tantum axiomatum necessitas & universalitas, an ipsa judicia ibi oriuntur.

II. Omnia, quæ de principiis cognitionis & cogitationis consistuere possumus, non possunt a demonstratione ordinaria & vulgari pendere, sed ab indicio & testimonio conscientiae nostræ. Quapropter accurate exponenda sunt ea, quæ de interna mentis natura dictant conscientia, si modo dijudicare posse avemus, unde axiomata dicenda sint.

III. Quibus explanatis, facile, (nisi fallor) inveniuntur axiomatum fons, natura, vis & pretium; quod sequentibus paragraphis ostendere conabor.

### §. VIII.

Cognitio, cujuscunque sit generis & naturæ, non potest existere, nec locum habere, sine facultate sibi consciendi præsentium idearum præsentiam & qualitatem e<sup>r</sup>; quia cognitio nunquam potest esse in re cognita, neque in se ipsa, sed tantum

tum in subjecto, quod rem cognoscit. Hoc vero omnino nullam cognitionem habet, si non sibi suarum idearum (rerum scil. formarum in mente, seu potius in conspectu mentis existentium) conscientiam est: h. e. si non mente concipit se id scire quod seit. Quare certum est, non enim posse nec concedere, nec negare vel ideam, vel cogitationem vel tandem cognitionem existere, (nam ipsa vel concessio vel negatio etiam prodit cogitationem) nisi simul concedat conscientia existentiam & veritatem; h. e. quisque concedere debet,onne ens cognitione quadam gaudens consciere, consciere ea quæ percipit & scire quod seit, h. e. sentire quod sentit.

c) Non est hoc loco quaestio de natura hujus qualitatibus, an eadem est omnibus entibus spiritualibus, an cuique diversa; nec est sermo de modo, quo respondeant ideae rebus ipsis, quas representant; sed statuere tantum audeo, qualescumque ideas quolibet ens habeat, talium h. e. ejusmodi qualitatibus gaudentium idearum sibi conscientiam est, & hoc puto quemque facile largiri mihi.

Hinc sequitur, nullam rerum impressionem, representationem, notionem, imaginem, vel si aliud nomen magis placet, ideam, formam impressam, speciem & s. p. cujuscunque generis sit, ad cognitionem pertinere & adnumerari posse, vel mente teneri, antequam sibi ejus conscientia sit mens.

Conscii vero etiam sumus, quod ideas perceptas, non eodem, quo percipiuntur, tempore amittimus, sed eas intramentem retinere, in conspectum mentis, occasione data, revocare, ad eas attendere, eas mutare, dividere, componere, inter se comparare, quid in quaque sit videre, valemus. Immo, sine cogitatione, cognitio non potest existere; cogitatio autem omnis nititur libera tractatione f) idearum & notionum in mente jam existentium. Quapropter, tum ex existentia cognitionis & cogitationis necessario sequitur, tum in mente,

conscientia indice & teste immediate percipitur, vis libere tractandi f) ea, quae intra orbem mentis sunt — ideas & notiones.

f) Hoc loco non possum negare diversos spiritus, pro diversitate idearum (respectu originis, argumenti, ordinis &c.), felicitatis, intentionum, occasionis & s. p. diverso ordine & modo suas ideas tractare valere; non enim est questio de ordine & modo ideas tractandi, sed tantum de existentia traditionis. Asserere tantum volo omnes spiritus tractare ideas suas, & libere tractare eas, h. e. in se habent principium agendi, & actiones eorum determinantur non nisi ipsorum voluntate, sic ut possint ideis adhaerere, ad eas attendere, eas e conspectu mentis remittere, quatenus sint intra orbem conscientiae, & quatenus sint, respectu felicitatis & intentionum aut occasionis, illis (spiritibus) majoris aut minoris momenti.

Hoc vero loco supersedentes querere de via, qua ideo in animum ingrediuntur, quamque experientiae nomine notamus, invenimus in mente, ad existentiam cognitionis necessarias, & a conscientia luculenter, distincte & evidenter indicatas duas inesse facultates, facultatem nempe sibi praesentium idearum praesentiam & qualitatem *consciendi*, & facultatem eas, quatenus in mente insunt, *libere tractandi*. Quod duae facultates igitur sunt cuique enti cognoscenti esentiales, & praeter has ulla facultas ad existentiam cognitionis esentialiter pertinens, nec invenitur, nec est. g)

g) Neque potest quisque, neque nos voluntis hic statuere entia spiritualia pluribus facultatibus & viribus instructa esse non posse, scilicet de ea re alio loco est differendum; dicere tantum audemus plures facultates quam has duas non esse ad existentiam cognitionis esentialiter necessarias, h. e. quodlibet ens his facultatibus instructum potest frui cognitione, sine his autem cognitione locum nullo modo habere potest.

Cum

Cum Idea quaelibet in conspectu mentis adest, aut apprehensione proposita, aut mentis libertate provocata, aut quoque modo nata; Conscientia semper in unaquaque tres res esentiales agnoscit, denotat & discernit: 1:o, quod revera adest & exsilit in conspectu mentis; 2:do, qualis fit, quatenus scilicet intra orbem mentis est; & 3:to, an inter eam & nostram subjectivam naturam intercedat harmonia aut disharmonia. Quorum primum dat nobis omne absolute necessarium & universale, & propterea etiam judicia de quibus nunc agitur; alterum tradit materiam sive argumentum cognitionis; tertium vero est fundamentum felicitatis & moralitatis. His autem duobus missis, ad primum illustrandum & demonstrandum adgredimur.

## §. IX.

Ut eo attentius animum ad originem judiciorum absolute universalium & necessiariorum advertere possumus, debeamus in illis separatim considerare duas partes esentiales & ad nostrum propositum pertinentes: Argumentum & Certitudinem.

Argumentum, his judiciis contentum, ex experientia evidenter desfluit. Nam composita sunt haec judicia, ut alia, ex ideo & notionibus, quas experiendo & abstrahendo consecutus sumus. E. gr. Axioma est mathematicum: Res, uni eidemque rei, vel aequalibus, aequales, inter se etiam sunt aequales. Vocabula, res, aequales &c. representant ideas ex sensuibus perceptionibus abstractas, ac enunciatio igitur, quantum ad argumentum indubie est ab experientia orta. b)

b) Cum his concedo argumentum axiomatum, vel potius, ut accuratius exprimam rei naturam, ideas, quibus constant axioma ex experientia derivari debere; mibi objici & obverti pot-

potest, quod, & ex experientia ortum habent axiomata, pendant etiam ab illius qualitate: & si hæc diversa sit diversorum spirituum ex diversis, pro organorum & subjectivæ spirituum naturæ conditionisque diversitate & ratione, apprehensionibus orta, (ut e. gr. idelicis flavum videtur, quod nobis album); videtur etiam argumentum axiomatum variari & diversum esse debere, ut aliud sit aliorum spirituum, ideoque ipsa axiomata aliis alia esse. — Observandum autem est; hæc objectionem axiomatum naturam non ferire; quia non pendet hæc natura ab idearum qualitate, sed ab eorum existentia. Qualitas Idearum materiam cognitionis suppeditat; existentia earum dat axiomata, ut normas cogitandi & concludendi. Idem igitur est, respectu axiomatum, utrum sit flavus, an albus hic color; nam de qualitate hujus vel illius idea axiomata nihil dicunt, nisi eam esse talem, qualis est; sed axiomate nisi concludimus; colore, qualiscunque sit nobis, talem in ejusmodi occasiōibus semper fore: flavum, colore, ut flavum existentem, nec esse nec posse esse album: res, unū eidemque rei similes existentes, inter se etiam esse similes, cujuscunque generis alias sit eorum natura & qualitas. Cum de ideis aliquid statuimus, tantum de illis ut ideis axioma valet; cum vero de rebus ipsis, de illis tantum, quatenus subditæ sint iis conditionibus, sub quibus ponantur, valent axiomata. Longe aliud est adstruere audere, colore, qui mihi est flavus, habere causam cur flavus est, & omnibus in eodem statu & conditione (h. e. ceteris paribus) flavum etiam esse & fore, quam statuere cum revera existere in re, in qua cernitur, & omnibus in omni quoque casu & situ eundem esse. Potest alter spirituum aliud quasi latus aut aliam frontem rerum cernere, alter utique aliam; sed quisque de suis tantum perceptionibus judicat, non de ceterorum, & judicat tamen nixus iisdem fundamentis, quia omnibus est commune, quod idem qualiscunque sint generis existunt, & existentiam tantum spectant axiomata. Objecta carum, sive materia circa quam versantur, possint esse valde diversa; sunt tamen objecta; & axiomata, ab objectis suis accurate distinguenda, semper sunt eadem, eodemque immutabili fundamento superstructa. Quod etiam (nisi fallor) statim videbit Lector benevolus, præsertim respectu ultimorum cognitio-

tionis principiorum, h. e. axiomatum universalissimum, contingere, si animum attentum ad sequentia advertere illi placet.

Unde vero — & hoc est status questionis — habemus certitudinem, h. e. absolutam universalitatem & necessitatem, quas in axiomatibus inesse invenimus? — Sunt necessarie consequentiae ex ipsa vi provenientes sibi conscienti. Si verbis exprimere volumus id, quod in mente a priori existens ad cognitionem applicari potest, id tantum sit hoc unum: *Quod sentimus, vel cuius conscientia sumus, id revera sentimus & percipimus, & de ejus praesentia, quatenus conscientia de ea loquatur, summo jure persuasi sumus; & e contrario: Quod non sentimus, id revera non sentimus, & de ejus absentia per conscientiam indubie persuademur.* Volumus scil. ita exprimere non judicium quoddam in mente a priori insitum, sed sensum & actum conscientiae, qui ad omnes mentis operationes adest, quemque nemo (ut arbitror) potest negare revera esse necessarium cuique enti, quod cognitione gaudere posit.

Hic agitus, qui in ipsa conscientia praesentiae idearum, ut materie cogitationis & cognitionis, confitit, omnium axiomatum & principiorum (secundum pretium categoricum) fons & mater est secundissima.

Nam, cum ideam in mente sentio presentem, h. e. cum ejus sentio actualem existentiam, non possum negare existentiam, quam ita immediate sentio. Hic sensus, qui non est nisi conscientia effectivæ praesentiae, & in mentis conspectu actualis existentiae praesentium idearum, cujuscunque sint generis, verbis expressus, primum dat omnium principiorum, ultimum axioma & judicium universalissimum: *Quod est, est revera, h. e. aliquid non potest simul esse & non esse.*

Rem reipsa se ita habere cuique facile constabit, si se  
cum reputare velit, quid in mente sua addit, cum in aliqua  
conclusione hoc nitatur principio.

Eodem modo, ubi clare sentimus nihil esse, ibi aliquid  
sentire non possumus; & propterea, quia nihil est nihil, non  
possumus credere aliquid ibi esse. Qui sensus non-existen-  
tiæ oppositæ exsistentiæ, aut conscientiæ indubium testimoniu-  
m de absentia omnis realitatis, fundamentum est principii  
causalitatis, hac scil. ratione.

Cum mihi in mente repræsento rem, quæ ex nihilo & ab  
nihilo proveniat, immediate pono ante ideam tei, ideam ni-  
hili. <sup>i)</sup> Et cum tunc, conscientia distincte & evidenter de ab-  
sentiæ omnis realitatis loquitur, & quasi perspicit nihil va-  
cuitatem & non-existentiam, non possum simul concedere ibi  
esse aliquid, quod poslit realiter esse, neque afficere, neque  
affici, neque fuisse, neque futurum esse, neque agere, neque  
fieri, quia nihil, ex conscientiæ testimonio, est nihil, & non-  
existentia non gaudet ulla facultate aut vi; qui sensus, seu con-  
scientiæ immediatum testimonium de absentia omnis realitatis, &  
præsentia nihili, verbis expresum, transit in hanc thesin:  
*Nihil nec est, nec agit, nec fit aliquid: ex & ab nihilo ni-  
bil fit: Quicquid fit, fit aut ex aut ab aliquo, b. e. habet  
causam aut materialem aut efficientem: Omnia suam habent  
causam sufficiemt: — & sic nascitur principium causalitatis.*

<sup>i)</sup> Nihil hoc loco sumitur tam purum, omnique realitate carente,  
ut nec sit aliquid, nec faciat, nec fiat aliquid, nec sit ali-  
cujs mutationis aut modificationis, aut realitatis aut actio-  
nis, per se, capax. Nam cum damus, nihil frui vi aliquid  
fiendi aut faciendi, non est amplius purum nihil, seu ali-  
quid. Et cum de substantia rerum oritur questio, omnino  
impossibile est de natura ejus, qualis est, aut qualis fuit,  
aut qualis erit, aliquid constitueret aut asserere, nam extra  
orbem

orbem cognitionis nostræ est, & intra eum pervenire non  
potest. Cum vero Theologi fatuant omnia ex nihilo facta  
esse, tunc etiam concedant illi nihilo unam quasi faculta-  
tem, eam scil. adventu creatoris vi, aliquid fiendi. Verba  
non mutant rem. Nec ego dicere volo materialismus te-  
tendum, sed creatoris opera natam esse, non ex se, sed ex  
nihilo, gaudente facultate materialis fiendi. Sed abstrahere  
hanc facultatem, posse purum nihil omni facultate & vi ca-  
rens; si dicas aliquid inde posse provenire, contra te ipsum  
dicas, contra conscientiæ testimonium agis.

Cætera Axiomata eadem ratione proveniunt e conscientiæ  
indicio & sensu, aut immediate, aut mediate ex aliis deducendo. Ut autem Lectori clarior sit res, exempli gratia af-  
ferre volo hoc vel illud axioma simul cum ratione suæ de-  
rivationis.

*Res uni eidemque rei æquales, inter se sunt æquales,*  
axioma est mathematicum, in quo propositæ sunt tres res, *A*,  
*B*, *C*. Quarum *A*, quoniam æqualis est  $\tau\eta$  *B*, eandem ha-  
bet magnitudinem ac *B*: & quoniam *C* æqualis etiam est  $\tau\eta$  *B*,  
conscientia immediate percipit eandem in omnibus magni-  
tudinem; quare testatur  $\tau\eta$  *A* etiam &  $\tau\eta$  *C* inter se esse  
æquales, non ex regula quadam, sed quoniam immediate per-  
spicit eandem magnitudinem esse in utraque.

*Totum majus est parte sua.* In hoc axiomate etiam ob-  
veniunt tria, totum *A*, pars *B*, & summa cæterarum parti-  
um = *x*. Quoniam in *B* + *x* non est plus vel minus quam  
in *A*, ex natura divisionis, quæ nec minuit, nec auget, sed  
tantum dividit; Conscientia, perspiciens *B* esse minus *A*,  
quoniam *x* etiam est aliquid, immediate testatur *A* esse ma-  
jus *B*, h. e. *totum esse majus parte sua.*

Affirmare etiam possemus, hæc principia suam veritatem  
ex principio contradictionis derivare, idque recte. Nam cum

conscientia percipiat partem esse minorem toto, non potest simul concedere eam aliter se habere, h. e. ex principio contradictionis sequitur, totum etiam esse majus parte sua. Videl enim quisque illum sensum mentis adesse in his conscientiae testimoniis, quem diximus esse fundamentum principii contradictionis.

Eodem modo, atque ex eodem fonte, profluunt cetera Axiomata. Quod facile demonstrari eset, si locus non vetaret in re amplius explananda morari. Puto tamen quemque mihi concedere, aliam præcipuum originem non esse querendam cæterorum axiomatum, cum videat hæc maxime universalia & necessaria, atque quali fundamentalia consideranda immediate proficiunt a facultatibus mentis essentialibus, ab ipsa scil. conscientia. Addo, quocunque Judicium, cuius veritas non immediate pendet ex conscientiae perceptione & indicio, h. e. in quo non est veritas intuitiva, nomine axiomatis utique esse indignum.

#### §. X.

Hujusmodi judicia, (quæ scil. immediate conscientia nuntiuntur) sunt necessario universalia, quoniam semper in conscientia adiunt, & neque ulla idea, neque ulla cogitatio potest esse in mente, ut scil. menti obverans & ab ea possefa, nisi simul mens earum existentiae aut non-existentiae tibi sit conscientia, ac igitur, hæc judicia semper in promptu sunt & ad omnem partem cognitionis æque bene adficari & referri possunt — itaque sunt maxime, & e rei ipsius natura *Universalia*. Absolute vero *Necessaria* sunt, quoniam omnis cognitionis subdita est illi legi, ut non possit locum habere, nisi ens cognoscens tibi illius sit consciuum, i. e. nisi ideæ, ex quibus constat cognitionis, ut in conspectu mentis existentes aut non-existentes,

existentes, sentiantur. Quapropter omnia judicia universaliter & absolute in cognitione sunt necessaria, quæ ex conscientia immediate proficiuntur, & eo, tangenti unico suo fundamento nituntur.

#### §. XI.

Postquam ita ostendimus, unde, & viam qua in cognitionem intrent axiomata simul cum sua universalitate & necessitate; nostrum est quasdam de eorum natura observationes apponere, ut magis sint cuique perspecta & cognita.

Ex dictis autem quisque facile potest videre, Axiomata, respectu sui fundamenti & internæ sive naturæ, non esse regulas ante occasionem eis utendi pro certis constitutas, & cogitationem dirigentes, sed conscientiae apprehensiones, terminis expressas, quæ immediate adiunt in quaue occasione ubi tali utamur principio.

Quam ob causam axiomata in quotidiano & vulgari rationis usu, vulgo non observantur; adiunt nempe tantum ut apprehensiones, non ut regulæ.

Ac tantummodo eum in finem nonnunquam in quotidiano rationis usu & in scientiis, exprimantur, ut aliis aliquid eo certius persuadeamus, cum ad ipsorum conscientiae immediatum testimonium appellamus.

#### §. XII.

Sed quæstio accuratiore examine digna, e dictis & e postulatis ratiois oritur erodanda, de pretio & veritate objectiva, quæ sit in axiomatibus vel principiis rationis. Scimus quidem ejusmodi Judicia, a conscientia (ut fundamento omnis

cognitionis) immediate efficta & approbata, habere vim cogitationis dirigendae plenam, h. e. veritatem subjectivam poscidere & pretio subjectivo gaudere. Quapropter quoque omnia, que his nituntur principiis, nobis non possunt non videri vera & certa, etiam cum non quadrant cum rebus, quibus respondere debeant. Sed Axiomata non solum subjectivo pretio, verum etiam absolutissimo objectivo gaudere, ostendere conabor.

Sine conscientia potest quodlibet ens neque gaudere ideis aut representationibus aut cognitione quadam, neque cogitare, neque sentire, neque recordari, neque ulla vita spirituali frui: & cum ex illa conscientia immediate & necessario proficiantur axiomata, inest in illis vis veritatem in conclusiōnibus ponendi & dijudicandi absolutissima:

I. Quoniam omnibus entibus spiritualibus necessaria sunt, & necessario sunt eadem *k*), (conscientia enim omnibus est necessaria & eadem); non possunt igitur axiomata esse casu quodam orta, nec ut aliquid accidentis ad spiritum pertinere, eaque ratione vim tantum subjectivam tenere. Sed ut necessariae, ex ipsa spiritualis viue possibilitate consequentiae, revera non possunt non esse in omni re, (quatenus intra pomœria cognitionis cuiusque spiritus est), veritatis criteria.

*k)* Hoc loco, ubi asserere audeamus axiomata esse omnibus spiritibus eadem, sermo tantum est de ultimis axiomatibus, primis principiis, que scil. immediate oriuntur e conscientia existentiae & non-existentiae idemrum; cujus generis (ut antea demonstratum est) sunt principia contradictionis & causalitatis, quibus etiam alia quedam addi possunt. Si vero est querela de exteris axiomatibus, que ad unam aut aliam tantum partem cognitionis possibilis pertineant, idem de iis praedicari non plane potest. Nam quamquam eorum certitudo immediate pendet e conscientia; eorum tamen existentia

pen-

pendet ex existentia idemrum, ita scil. ut, si quis spirituum erat idea extensionis, careat etiam omnibus axiomatibus tantum geometricis, quod tempore attinet ad formam eorum, non vero ad fundamentum. Sed ut hec magis perspecta sit lectori, sequentes observationes afferam.

1. Omnia Axiomata, (sive judicia que evadunt axiomatica), cujuscunque sint generis, eodem nituntur fundamento, nimirum conscientia.
2. Sunt etiam respectu sue internæ naturæ eadem, nam non sunt nisi immediatae conscientiae apprehensiones.
3. Omnia eodem modo proveniant necesse est; ideoque sunt omnibus spiritibus absolute eadem; quamquam alii his uti possunt, illis alii. Num quisque illis tantum utitur axiomatibus, que ideas, quarum particeps est, spectant; cetera vero omnia nondum animadversa jacent in mente, usque dum occurrit occasio illis utendi, quando statim immediate expurgiscuntur, & quasi e fonte suo proveniunt. Quare solum tamdiu diversis diversi spiritus utuntur axiomatibus, quamdiu diversarum rerum cognitionem teneant. Sed in eodem casu, h. e. quando eisdem ideas in conspectu mentis habent presentes, iisdem prorsus axiomatibus necessario utuntur.
4. Nam quandoquidem axiomata non sunt, nisi ut rizvuli ex eodem forte, ipsa scil. conscientia, proficientes, consideranda, non possunt aliqua ratione esse. Abi invicem contraria sed absolutissime consentaneas minime vero potest aliquis adhibere axiomata contraria illis, quibus alii in eadem occasione utantur.
5. Omnia igitur omnium spirituum, qui existentia non modo fruantur, sed etiam frui possint, axiomata (sc. emnes

omnes necessario utuntur axiomatibus, quia sine conscientia, cognitionis locum non invenit), non sunt nisi partes, ex quibus constat systema perfectissimum omnium veritatum universalium & necessariarum, quod universum adest in ratione absolutissima, in mente quam perfectissimi Spiritus.

6. Sed ex partibus, quas continet hoc systema, possunt alii Spirituum aliis uti, quod pendet e natura rerum obvenientium; nam in re obveniente, cuiuscunque sit generis, conscientia exercet vim suam. Ideoque omnia axiomata, quae sunt absolute universalia & necessaria, h. e. quae sequuntur ad omnem cognitionis partem applicari, quia e conscientia existentiae & non-existentiae immediate proficiuntur, h. e. quae nomine ultimorum principiorum cognitionis, (de quibus in hoc opusculo imprimis sermo est) digna sunt, & sunt quasi fundamenta omnium aliorum judgmentorum universalium; cuiusmodi sunt principia contradictionis, causalitatis, similitudinum, identitatis, disjunctionis & s. p. huc omnia necessario sunt omnibus absolute eadem.
7. Ex dictis igitur patet, quemque spiritum de una eademque re, quatenus sit intra orbem cognitionis, iisdem principiis visum, eodem modo necessario judicare, & conclusiones inde accurate & diligenter derivatas non posse non gaudere absolutissima veritate; ut, si ex certis datis exacte, (h. e. secundum leges rationis) concluditur ad aliquid, certi esse possumus, conclusionem accuratissime respondere rebus ipsis.
8. Praeterea monendum puto, axiomatum omnium esse proprium, esse principia non intellectus, sed rationis,

non

non de datis, ut ipsa materia cognitionis, judicandi, sed ex datis conclusiones faciendi. E. gr. data in mente idea, intellectus est perspicere quid in ea sit; rationis autem est inde concludere ad existentiam & naturam objecti, & ad alia que inde derivari possint. In quibus operationibus axiomatibus utitur ratio, ut veritatibus universalibus & necessariis, sub quibus casus singulares subsumuntur.

II. In numero entium spiritualium inveniri etiam potest ens cognitione perfectissima praeditum, ut Deum esse affirmamus. Cum autem certum habemus, principia rationis, ut necessarias e possibilitate cuiusvis cognitionis consequentias esse omnibus entibus cogitantibus & cognitione gaudentibus, eadem, consentanea, nequaquam sibi invicem contraria; pro vero etiam habete debemus, nos homines, ac omnia animalia, (quanta cognitionis nobis illis que sit tribuenda) eadem ac Deum tenere axiomata, & propterea ea absolutissime in omni quoque casu esse vera & objective perfeccissimo gaudentia.

III. Axiomatum (ultimorum imprimis) demonstrare fallitatem maxime esset absurdum; quoniam eorum tantum ope demonstratio locum habere potest, & eorum principio, ipsa scil. sibi consciendi facultate, omnis cognitionis existentia nascitur, tanquam unico suo fundamento.

Nomen itaque principiorum ac veritatum necessariarum & universalium, promerentur Axiomata, & sunt in Scientiis nec non in omnibus partibus cognitionis nostrae, aliorumque en-

entium spiritualium, non tantum regulativa, sed revera substitutiva.

## §. XIII.

Rationibus igitur allatis fretus, adstruere audeo, contra Empiristas, axiomata non tantum non esse, ut per inductionem ex sensualibus formata, incertissimam cognitionis nostræ partem (ut statuerunt eorum crassiores), sed e contrario, absolutissima gaudere universalitate & necessitate; contra Criticos, ea vim objectivam veritatem dijudicandi habere; contra que omnes, qui eorum pretium imminuere conentur, ea supra omnem dubitationem esse, ut conditiones,  
sub quibus cognitio est possibilis,

